



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum X. Suggestum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

præsentat, aut eligit, sit in possessione cum bona fide, sicuti hic *Innoc. n. 1. And. n. 2. Abbas n. 3.* docent, & ratione dant, quia possessor bonæ fidei fructus bonæ fidei absumptos restituere non tenetur, nisi quatenus locupletior factus est; at verò mala fidei possessor restituere obligatus est, uti docui *in cit. tract. 2. c. 3. & 4.* & videri potest *S. si quis autem non domino Instituitis de rerum divis.* Cum itaque præsentare sit quasi fructus Juris Patronatûs, idè si possessor bonæ fidei præsentavit, præsentatio & institutio, cum sit actus transiens, ex quo patronus locupletior factus non est, retractari non debet; secus, si mala fide facta est præsentatio, aut institutio.

2 Notandum secundum, Institutio Clerici facta ad præsentationem veri patroni, qui non est in possessione Juris Patronatûs, valida cenetur, si nemo alius in possessione est. Ita *Innoc. in c. 2. n. 2. de restit. in integrum. Abb. hic n. 3.* & sumitur ex hoc *c.* per sensum contrarium. Sed, quid si alius in possessione sit, sed mala fide, debet ne admitti, & institui præsentatus à vero patrono. Respondetur cum *Gutierrez in pract. questio: q. 42. n. 48.* si notorium sit, quòd alter malè & iniquè possideat, admitti potest: ita videtur sensisse *Innoc. in c. Cumana n. 6. de electione.* Sin autem non notorium, non debet admitti, aut institui, nisi præmissâ cognitione, & latâ sententiâ pro vero patrono, quia alioquin possessor propria auctoritate, aut non servato juris ordine spoliaretur: quod etiam sensisse videtur idem *Innoc. in c. in litteris, n. 2. de rest. spol.*

3 Alia questio. Si aliquis per iudicis sententiam obtinuit Ius Patronatûs, sed mala fide, sciens id sibi non competere, num institutio facta ad ejus præsentationem, cognitio postea errore, & retractatâ sententiâ, rescindenda sit? In utramque partem disputant *Innoc. hic n. 2. And. n. 6.* magis tamen inclinant in partem affirmantem, quam etiam *Abbas* sequitur *n. 6.* afferentes discrimen inter eum, qui à Superiore publicum officium, aut potestatem consecutus est, cum vitio la-

tente, v.g. prælaturam, iudicis aut tabellionis officium; ejus enim gesta valent, reiecti intrusus sit, & mala fide officium gerat juxta *Legem Barbarius ff. de off. prat.* De alijs autem non publicum officium gerentibus nullum jus extat, quo significetur, acta eorum cum vitio latentem mala fide exercentium valida esse ob iudicis sententiam, vel auctoritatem, argum. *Legis Julianus 60. ff. de conditione & c. ubi docet DD. si verus & naturalis debitor in iudicio absolutus per errorem debitum solverit, repetere illud non posse, quia naturaliter debet, & in L. exceptio 68. de exceptione rejudicata, docet Glossa & DD. quòd sententia iudicis reipla non facit dominum, qui non est dominus, nec auferit dominium à vero domino.*

Notandum tertium. Si Clericus sine legitima præsentatione in beneficio patronato ab Episcopo institutus sit, institutio petens Patrono rescindi debet. Ita sumitur ex hoc *c. & docent DD. in c. illud, & c. ex informatione 14. hoc tit.* Dixi autem, petente Patrono, nam potest is etiam institutionem assensu suo expresso vel tacito comprobare, & ratam habere argum. *c. sequentis & c. de his, qua fiunt à Prelatis.*

## CAPITULUM XX.

## Suggestum.

## PARAPHRASIS.

Cum auctoritate Archiepiscopi Eboracensis quadam Ecclesia cum consensu domini fundi concessa essent; Canonici vero quidam reclamarent, dicentes, donationem sibi prius factam esse: referens et Prioris, si prior concessio cum assensu Patroni & auctoritate Episcopi facta sit, eorum assensus fuerit postea. Subsecutus posteriori concessioni præferendum esse, alioquin posteriorem præferri debet.

\*\*

## SUMMARIUM.

1. Non potest Episcopus alteri Ecclesie unire beneficium patronatum sine consensu Patroni.
2. Posterior unio, quando valeat contra priorem?
3. Concessio Ecclesie ratificatur per subsequentem consensum ejus, cujus consensus requiritur.

NOTandum primum. Ecclesiam, aut quodlibet beneficium juris patronatûs Episcopus alteri Ecclesie unire non potest sine consensu Patroni. Ita hîc, & docui l. 4. tr. 2. c. 13. n. 12. nam per talem unionem Patronus perdit jus præsentandi, si v. g. una Ecclesia parochialis alteri parochiali, vel ad augendas præbendas Canonicoꝝ canonicatibus, juxta c. exposuisti 33. de præb. vel una Capellania alteri Capellaniae unia- tur, Et ita desumitur ex c. monasterium 33. causâ 16. q. 7. ubi Gloss. ait, quòd Episcopus invito Patrono non possit ex parochia facere monasterium, quia derogaretur juri præsentationis, si Prælatus monasterij per electionem constituendus esset. Adde, tamen Ius Patronatûs Patrono integrum maneat, idem dicendum fore, si v. g. ex redditibus Ecclesie patronatæ in altera Ecclesia præbendæ, seu beneficia erigantur; hoc in casu cum Patroni intersit, opponere se poterit, ne jura & redditus Ecclesie patronatæ minuantur, aut supprimantur argum. c. filijs 29. eademq. 7. & docui in l. c. & tradit hic Abbas n. 3. Excipe, si necessitas talem unionem, aut translationem postulet reditu- tum, tunc Patronus repugnare non potest, sicuti ibidem dixi; potissimum verò Episcopus etiam contradicente Patrono redditus Ecclesie patronatæ ad ejusdem Ecclesie utili- tatem disponendo applicare potest, v. g. novum beneficium, aut præbendam erigen- do, quia tota dispositio circa Ecclesiam, jura, & bona ejus, ad Episcopi opus pertinet, & Patronus immiscere se non debet, nisi ea perdi, aut immitti videat, uti constat ex citato c. filijs S. ipsi, tamen q. noverint 6.

causâ 10. q. 1. & videri potest Innoc. in c. 3. v. 3. de privilegijs.

Notandum secundum. Posterior concessio, seu unio Ecclesie, aut beneficij, quæ eâ vacante facta est, consistere debet, non obstante, quòd priùs alia concessio, aut unio facta sit, sed minùs canonicè, eò quòd Patroni consensus requisitus non sit, multò- que magis, si à Patrono concessio facta sine auctoritate Episcopi c. illud 8. hoc tit. Ratio est, quia unio non canonicè facta pro vacua & inani reputatur, & idèd non potest impedimentum præstare unioni factæ legitime; idèdque similiter dicendum de collatione beneficij, secundum Gloss. in c. cum nostris 6. §. non vacaret de falso, de concess. præb. quòd beneficium non vacans de facto, sed de jure, validè conferatur alteri. Idem quoque dicendum de Legato, quod utile legatum valet, non obstante legato contrario, sed inutili l. si servus 108. §. si servus alienus ff. de legatis, quia, ut Glossa ibi ait, utile per inutile vitari non debet, reg. 37. in 6.

Notandum tertium. Concessio Ecclesie à Patrono facta per subsequentem Episcopi consensum ratificari potest, uti docui in c. cura 11. hoc tit. Multò magis valet concessio, sive unio, aut collatio beneficij ab Episcopo facta, si consensus Patroni accedat; & est discrimen inter concessionem, aut collationem factam à Patrono sine Episcopo & inter concessionem, aut collationem factam ab Episcopo sine Patrono, quòd illa nullo modo subsistit, cum substantiale requisitum desit, at verò Episcopi concessio, sive unio, aut institutio subsistere videtur jure mero naturali, quandoquidem Patroni consensus, ut extrinseca conditio requiritur, & postea accedere & suppleri potest, ita ut actus ab initio subsistisse censeatur juxta ea, quæ dixi in c. 2. de ijs, quæ sunt à Prælati, & in disp. de alienatione rerum Ecclesiasticarum thes. 24. & 25.

\* \*  
\*

PPP

CAPI-